DE CAUSIS MONSTRORUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS CRITICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE V. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

RUDOLPH. BERNHARD. FERNAU
WRIEZENSIS.

OPPONENTIBUS:

G. FROELING, med. et chir. Dr.

E. GRUENBAUM, med. et chir. Dr.

M. SCHWARTZ, med. et chir. Dr.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

H A S C E

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Etiam pauca haud negligenda.

Nomen monstrum, ling. gallic. monstruosité, anglic. monsters, hollandic. Wanschepsel, nostra denique Missgeburt, a medicis datum est foetui ei, qui quadam ratione a norma discessit. Antiquissimis jam temporibus monstra inveniebantur, nec parvum hominibus injecerunt horrorem, ita ut mirari non possimus, ea monstra praecipue a medicis accuratius esse considerata, ut rationem, qua fierent, bene intelligerent, ac regulas legesque, quibus formarentur, proponerent.

Neminem tamen, qui arti medicae incubuerit, fugere potest, hoc studium multa per saecula frustra esse consumtum; omnes haud ignoramus, quae insania moverit animos, quae stultitia duxerit interpretes, quae dementia denique represserit verum. Monstra permultum tempus irae et potentiae divinae documentum habebantur; animadversiones fortuitae erant rarae, leves, quaque carentes utilitate.

I. DEFINITIO ET HISTORIA.

Plutarchus nobis jam tradit, Empedoclem fuisse primum, qui monstri duplicis fecerit mentionem, causamque

posuisse in minore spermatis virilis quantitate, ita ut duo infantes et secreti et completi existere non possent: quam opinionem Democritus, Hippocrates aliique antiquitatis medici non probabant, monstra a causis fortuitis et accidentibus dependere rati, ita ut melius monstrorum originem intellexisse mihi videantur, quam multi medici posteri et hodierni, qui vim naturalem plasticam ut deum valde commodum ex machina implorant. Sed hoc loco haec omittam, postea, si meam de monstris sententiam explicabo, plura de vi plastica allaturus.

Ambr. Paré primus monstrorum definitionem dedit:

Ce sont, scribit (1), choses, qui apparoissent outre le cours de nature, et qui sont le plus souvent signes de malheur à advenir.

Laudandus est, quod causas statuerit accidentales.

Lemery dicit (2):

les monstres sont des individus dans les quels la structure naturelle des parties se trouve plus ou moins alterée.

Haller ait (3):

monstri vox ex ipsa linguae natura videtur designare aberrationem animalis a consueta suae speciei fabrica adeo evidentem, ut etiam ignarorum oculos feriat.

Definitio haec sufficeret, si appositionem: adeo evidentem .... omisisset. Quid enim haec sibi vult? Aut Haller

---

(1) Oeuvres de A. Paré. 25 livre.

(2) Mém. de l'acad. des sc. 1740.

(3) De monstris in opp. min. T. III. p. 3.

monstrositatum internarum, ut cryptomorphiae meae (v. postea) est oblitus, aut ista appendix est omnino futilis et maxime incertam definitionem continet; equidem autem censeo, nos monstrorum definitionem dare posse tantum aut omnino universalem, aut re vera nullam.

Bonnet dicit (1):

On nomme monstre toute production organisée dans la quelle la conformation, l'arrangement ou le nombre de quelques-unes des parties ne suivent pas les règles ordinaires.

Hac ex definitione quamquam parva quaeque a natura aberratio nominatur monstrum, laudabilis tamen esse mihi videtur, quod angustiorem et certiorem exhibere non possumus.

Blumenbach ait (2):

la monstruosité est une aberration de la force plastique un état tout-à-fait contre nature.

Vim plasticam proponit monstrorum causam, quod omnino nego, sed de hac re postea; ceterum haec definitio satis similis est aliis.

Vicq-d'Azyr dicit (3):

le monstre est un corps vivant, qui a une conformation contraire à celle de la nature.

Differt ab aliis appositione verbi vivant, et ita a monstris excludit id, quod nominatur mola.

---

(1) Considérations sur les corps organisés. T. V. p. 302.

(2) Sur la force plastique §. 3.

(3) Traité d'anatomie et de physique p. 95.

Autenrieth (1) quaerit:

num id (duplicitas monstrorum) sit, quia omnia monstra in privatione consistant?

Quid hujusmodi dicto respondeam? defectus solus est ei causa omnium monstrorum, neque contradictione, saepe adesse majorem membrorum numerum, illa ab opinione amoveri potuit, sed contendit, illa membra et majora et superflua adesse, quod alia organa minus essent evoluta.

Reil (2) tres habet monstrorum causas:

1) impedimenta externa

2) germen ab origine vitiosum

3) foetus moram in animalis inferioris gradu.

Causa prima est bona, quae ad 2 et 3 sunt dicenda, v. postea.

Zimmer (3) externas causas defendit; Meckel, qui illas negat, objicit ei, hac conditione monstra tantum non satis evoluta posse existere, neque unquam duplicitates; sed cur id non fiat, equidem quaero, cum ab initio duo vel plura in uterum venerint ova?

Wolf (4) vim plasticam monstrorum causam putat.

Meckel (5):

monstra, inquit, sunt individua, quae differunt forma ab ea, quae propria est speciei suae.

Definitio haec optima esse mihi videtur, sed quod attinet

---

(1) Addit. ad histor. embr. p. 38.

(2) Archiv. f. d. Physiol. B. IX. H. 1. 3. 63. 64.

(3) Ueber Missgeburten S. 76.

(4) Theoria generat. Hall. 1759. p. 134.

(5) Pathol. Anat. T. I.

ad causas ab auctore propositas, valde ab eo dissentio; sequitur enim opinionem doctissimi Littre, foetum permultos transgredi gradus animalium, priusquam summam adipiscatur formam et ultimam; monstra igitur fieri, cum foetus in quodam evolutionis gradu inferiori retineatur. Haec definitio non sufficit, quod permultae deformationes ex ea non possunt deduci; praeterea vide, quae de theromorphia dicam.

A. Devergie (1) proponit leges VIII. quibus formentur monstra, has:

1. Nullum monstrum tantopere est deformatum, ut individuum illius, ex qua prodiit, speciei non agnoscatur, nisi deformatio sit tanta, ut minime possit agnosci.

Quem autem fugiat hujus dicti contradictio? Sane neminem, nec plura de eo loquor.

2. In monstris, quae maxime discedant a norma, tamen cohaerentia partium nonnullarum naturalis non ita est mutata, ut omnis partium earum nexus tollatur, neque organa situ possint cognosci.

Haec lex tantum valere mihi videtur, quod attinet ad majores corporis cavitates, earumque organa majora, ita ut nunquam cor in calvaria, pulmo in pelvi inveniatur; sed quod attinet nonnulla organa unius cavitatis, ea in quavis cavitatis regione jam sunt reperta; neminem insuper diversissima vasorum origo fugere potest.

3. Deformitates regulis certis formantur, quae iterum iterumque nosci possunt: exempli causa, si duae adsunt linguae,

(1) Universallexic. d. pract. Med. u. Chir. Leipzig 1841 T. IX. p. 359.

altera super non juxta alteram jacet, si duo foetus cohaerent, id fit eisdem partibus, ut dorso dorsum cohaereat etc.

Verum est hoc dictum apud monstra, quae nominavi symmetra, tamen non apud asymmetra, nam si apud haec monstra, quod postea accuratius considerabimus, ex pectore duae pendent extremitates inferiores, facillime potest intelligi, necesse fuisse, alterius caput thoraci alterius admoveretur.

4. Gradationes exstant a levissimis usque ad monstra gravissima.

Quod verum et quidem ex causis, quae facillime possunt perspici.

5. In organis minoris momenti saepius monstrositates inveniuntur quam in organis ponderis majoris: sic vasorum ramificatio saepius variatur quam origo, et illa vasorum maximi momenti monstrositas, i. e. confluxus sanguinis arteriosi et venosi rarissime tantum invenitur.

Hoc concedendum est, cum ubicunque aberrationes gravissimae rarissime exstent.

6. Si organum aliquod minus perfectum, aliud magis perfectum vel duplicatum reperitur, velut facies permagna apud acephaliam, vel digiti VI. in una manu si altera IV. habet; nec solum haec lex valet in eodem foetu, sed etiam in infantibus ejusdem feminae sequentibus. Profert, ut id demonstret, argumentum, cujus mentionem jam fecit Morand, hoc: puellam habuisse in quaque extremitate digitos VI. ejus sororem postea natam ad tres extremitates digitos quinque, ad unam manum tantum unum.

Hanc exaequationem in eodem foetu equidem puto,

tantum ita posse exstare, ut membrum aliquod majus quidem queat formari si alia organa minora sunt aut deficiunt, quod omne nutrimentum embryo adductum consumendum est; nunquam tamen concedam nova organa et completa hac ex causa posse existere, nisi hujus organi superflui germen ex ovo altero datum sit; quod tamen attinet hanc legem apud infantes varios, omnino falsa esse mihi videtur, neque ullam habet dignitatem, nisi causa quoque hujus inter infantes varios connexus a Devergie addatur. Nec enim satis est dicere, rem ita se habere, sed cur ita sit; quomodo id definire studuerim, invenies in cleromorphia nostra.

7. Monstra interdum esse hereditaria; praecipue labium leporinum, digitos cohaerentes et superfluos, hypospadiam al.

Fere idem est, quod jam sub 6. est dictum, nec hic noster auctor causam proponit; verisimile est ova ab initio esse vitiosa eum censere, quod equidem tamen nego, iterum Vos delegans ad cleromorphiam.

8. a. Monstrositates saepius in latere sinistro.

b. Monstra per excessum saepius in partibus superioribus.

c. In generis feminini individuis crebrius quam masculini inveniri.

Nituntur hae regulae in experientia sola, et quaerere liceat, utrum tempus, per quod observationes accuratiores sunt institutae, jam satisfaciat, ut hae leges statuantur; ad a. et b. causae non sunt datae; forsitan ad b. situs embryi quid valeat, cum caput ejusque partes adnexae ad infimum spectent, et ita lex gravitatis efficacitatem in humeros quandam habeat (vid. class. meam III. ectop.) Ad c. Devergie proponit causam hanc: priori graviditatis tem-

pore unum tantum est genus, femininum quidem; cum igitur extra aliam monstrositatem cujusvis organi genitalium quoque evolutio retardatur, necesse est, ut infans matura idem illud genus, i. e. femininum habeat; definitio haec probabilis esse videtur, tamen equidem unum priori tempore esse sexum praecise negans, contendo, genus ex primo jam temporis momento esse et constitutum et diversum, sed nostris oculis humanis etiam armatis non posse distingui. Natura nunquam habet formam incompletam et incertam, ex qua causis accidentalibus postea unum vel alterum possit formari et in rebus minimis non minus mirabilis est et certa, quam in maximis.

Serres (1) fere eodem modo, quo Autenrieth, omnia monstra ex nutritione sublata existere vult, et definit ita ex. gr. acephaliam ex aorta deficiente.

Haec tamen theoria summo jure ab aliis insufficiens est demonstrata, et equidem una cum Beclard (2) ei contradico, difficillime tantum posse distingui, quae sit causa, quis sit affectus: utrum cerebrum deficiat, quod aorta ascendens non adsit, an aorta non sit formata, quod cerebrum non adfuerit.

I. C. L. Barkow (3) arbritratus monstra per coalitum duplicia ratione triplice existere posse:

---

(1) Récherches d'anatomie transcendante et pathologique. Paris 1832.

(2) Leçons orales sur les monstruosités. Paris 1822.

(3) Monstra animalium duplicia, per anatomen indagata habito respectu ad physiolog. med. forens. et art. obst. Ar. Vol. I. et II. Lips. 1828 et 1836.

1. Ex duobus germinibus, primum quidem separatis, postea tamen concrescentibus.

2. Ex ovo externe quidem simplice, interne vero duplice.

3. Ex germine ab initio simplice, postea in monstrum duplex deformato.

Equidem ad 1. non contradico. Ad 2. nescio mehercle, quid hoc sibi velit; forsitan, duo esse germina in uno ovo, vult, aliam enim non habeo definitionem; hanc tamen conditionem fere eandem jam sub 1. invenimus, nam germinum numerus qui in uterum venit, est res maximi momenti, cum basin ponat monstrorum postea formandorum; utrum haec germina circumdentur simplice velamento an duplice, non multum interest. Ad 3. quomodo id fiat, equidem quantumcunque studui, assequi nequeo; omnia viva ex ovo, quot ova, tot viva, haec lex naturae tam firma quam vires invisibiles, quibus coelum et terra tenentur. Nonne autem eadem lex omnino pervertitur, si concedimus, ex ovo uno duo existere posse individua?

Geoffroy Saint-Hilaire (1) denique ponit definitionem hancce:

Il n'en est point, qu'elle ne dépende d'un tirage s'exerçant du dehors en dedans, d'un tirage portant son action sur un des points superficiels du corps du foetus.

Transeamus nunc ad classificationes, quae exstant, potiores.

---

(1) Les monstruosités humaines. Paris 1823.

II. CLASSIFICATIONES.

Haller (loc. cit.) proponit classes triginta, multa addens exempla.

Bonnet (loc. cit.) et Blumenbach (1) quatuor constituunt classes:

1. Les monstres par vices de conformation:
   fabrica aliena (Blumenbach.)
2. Les monstres par vices de situation:
   situs mutatus —
3. Les monstres par excès de parties:
   excessus —
4. Les monstres par défaut de parties:
   defectus —

Primum de hac divisione dicendum, idem apud omnes IV. classes non esse divisionis principium; non intelligimus igitur, cur auctor has ipsas proposuerit classes: praeterea quoque monstra classis I et II ita sunt similia, ut ad unam classem pertinere videantur.

Treviranus (2) monstra dividit in classes II:

1. Praeformata s. monstra deformata qualitate.
2. Accessoria s. — — quantitate.

Jure primum dijudicat, monstra duplicia fronte cohaerentia nulla alia ratione nisi mechanica esse formata, et quaerit postea, cur non eadem ratione profundiora quoque organa

---

(1) Handbuch d. Naturgesch. Götting. 1802. p. 20.
(2) Biologie. T. III. p. 443.

possint cohaerere? Praecipue experimentis nisus a Hunter et Tagliocotti institutis, quibus apparet, partes adeo animalium duorum viventium concrescere posse. De monstris tamen praeformatis postea.

Vicq-d'Azyr (loc. cit.) II quoque habet classes:

1. Monstres par excès.

2. — — défaut.

Facillime potest dispici, has II classes non satisfacere, quam ob rem Bueffon quoque eis addidit classem.

3. Monstra magnitudine, structura, confirmatione partium.

J. Geoffroy St.-Hilaire (1) IV habet classes, prout monstra conditiones prae se ferunt et statum:

1. Quae in nullo animalium ordine inveniuntur.

2. Quae nunquam in ipsorum ordine reperiuntur.

3. Quae quidem eorum ordini, sed non aetati, sunt propria.

4. Quae quidem eorum ordini et aetati, tamen non generi sunt propria.

Classis I et II habent anomalias has:

1. Anomalias simplices, quibus nulla functio prohibetur neque ulla deformitas efficitur (inversiones leves).

2. Anomalias simplices, quibus functiones nonnullae prohibentur et deformitas quaedam efficitur (propria formationis vitia).

3. Anomalias compositas, ad anatomicen miras, functio-

---

(1) Philosophie anatomique. Paris 1823. T. II.

nes tamen non prohibentes nec deformitatem efficientes (transpositio).

4. Anomalias compositas, functiones vel vitam ipsam prohibentes, deformitatem permagnam efficientes (quae sola nominari debent monstra, G. St.-H.).

Facillime intelliges, hanc classificationem esse valde incertam et ambiguam, ita ut cujusvis ingenio sit permissum, ut classes nonnullas modo ampliores modo angustiores faciat; qui enim fines certi inter has IV anomalias sunt ponendi? Nonne ratione multiplice sunt similes? Nonne deformitas aliqua nonnullis hominibus levis, gravissima vero multis aliis videtur?

Breschet (1), qui in omnia monstra eas regulas, quibus G. St.-Hilaire in anomocephalis dividendis usus est, adhibuit, IV statuit classes:

1. Agénèses.
2. Hypergénèses.
3. Diplogénèses.
4. Hétérogénèses.

Ad 1. Pertinent IV species hae:

a. Agénésies, i. e. defectus s. evolutio organorum incompleta.
b. Diastémasies, i. e. fissura in medio corpore.
c. Atrésies, i. e. imperforatio cavitatum naturalium.
d. Symphysies, i. e. conjunctio organorum anomala.

Ad 2. Pertinent II species ita distinctae, prout hypertrophia sit localis, aut universalis.

---

(1) Dict. de méd. art. déviation organique.

Ad 3. Sunt referenda monstra duplicia, concrescentiae externae et penetrationes internae (plantatio mea).

Ad 4. Pertinent III species:

a. Anomalia loci: Ectopia.

b. — numeri: Polypaedia.

c. — coloris: Leucopathia, cyanopathia, cirrhopathia.

Systemati huic ejusque auctori maxima laus est tribuenda; nomina dedit monstris nova, meliora, certiora, ita ut nomenclatura per eum multo melior redderetur. Nihilominus systemati insunt vitia duo: 1) monstrorum originis et causarum non satis habuit rationem; 2) nonnullae monstrorum formationes haud parvi momenti, ut eae, quas equidem nominavi psychomorphias, minime sunt notatae.

Meckel (loc. cit.) maximam partem secutus est doctissimos Bonnet et Blumenbach, tamen mutationem fecit et bonam et malam. Habet classes II:

1. Monstra per quantitatem.

2. — — qualitatem.

N. 1. iterum dividitur in species duas, prout vis plastica diminuta sit, aut aucta.

N. 2. duas quoque tenet species, quarum altera has complectitur organorum aberrationes (prout haec organa ad formam, stricte sic dictam, aut ad situm aberrent), quae in classem I et II conferri non potuerunt. Harum altera denique (classis IV) continet hermaphrodisiam; divisio igitur est haec:

vis plastic. est mutat.

- ad quantitat.
  - diminuta
  - aucta
- ad qualitat.
  - Deformatio
    - ad formam ipsam
    - ad situm.
  - Hermaphrodisia

Meckel igitur classem I et II Bonneti et Blumenbachii in unam conjunxit, et classem IV, hermaphrodisiam continentem, addidit.

Definitionibus autem et systematibus praecipuis, quae feruntur, propositis, jam ad divisionem meam transeam; omnia quidem, quae de eis breviter dici poterant, postea accuratius et latius éxplicabo.

III. DIVISIO MEA.

Aliam monstrorum divisionem offerre studui, quod illae, quae extant, mihi non satisfaciebant, cujus rei patefaciam causam. Nihil est facilius quam rem aliquam definire, simulac omnia, quaecunque libent, causas statuere nobis liceat, id quod, a medicis ad monstra definienda commissum contendo. Sunt autem nonnullae in foetu evolvendo conditiones, quarum ex integritate integritas embryi pendet; primum quidem de ovo ipso loquar.

Permulti ac fere plerique in ovo ab initio vitioso causam invenerunt monstrorum, nulla alia de causa, quam quod ita

monstrum facillime posset definiri; quaerendum tamen est, num liceat, ova cum morboso seu vitioso germine praesumere in ovario. Equidem negaverim. Nemo certe est, qui putet, germina vitiosa s. morbosa jam a matre in filiae ovario, ex quo postea monstra prodeant, esse deposita; sed ponatur haec quoque sententia, licet per genera a filia ad matrem semper ascendere, donec ad germina sana et integra progrediamur. Quaerendum igitur est, qua re noxia germen factum sit morbosum, quomodo facultatem monstrosam sit adeptum. Facillime assequimur, totum ovarium una cum ovis morbo quodam posse corrumpi per totam suam substantiam, quo in statu nullo tamen modo fieri potest, ut post coitum ovum aliquod evolvatur; equidem autem intelligere nequeo, ovarium re quadam morbosa ita affici, ut ovarium ipsum maneat integrum, ova vero ipsa eorumque germina fiant monstrosa. Hanc ob rem ovarii ova sana sunt habenda, quamquam ita timendum mihi est, ne auctoribus fere omnibus contradicam. Sed ad vim plasticam transgrediar.

Dicendum primum est, quae sit haec vis plastica naturalis, et quid sibi velit. Omnia naturae corpora sunt aut organica, aut anorganica, et praeter alias qualitates formandi praecipue ratione differunt; haec ratio et vis formandi in corporibus anorganicis posita est in partibus minimis, quas quam optime formare studet, etiam si totius corporis formatio perfecta re quadam inimica prohibeatur, quod videri potest in omnibus crystallisationibus. In corporibus autem organicis haec vis plastica non in minimis partibus, sed in toto corpore, vel, ut ita dicam, super toto corpore est posita; non laborat, cum corpus organicum re quadam inimica affi-

ciatur, ut partes minimae bene formentur, quod sunt momenti minoris, sed ut totum corpus quam integerrimam accipiat formam et perfectissimam, etiam si nonnullae partes inferiores a norma abhorreant. Nullo igitur pacto cum eis consentire possum, qui maximam monstrorum partem ex aberratione vis plasticae derivent, imo contendo, vim plasticam quasi custodem vigilantem embryo a natura esse datam, quae nunquam officiorum obliviscatur, sed semper studeat, periculum quodque clienti suo imminens avertere et quam maximam reducere integritatem. Ita tantum definire possumus, vitam et typum organicum a foetu maxime monstroso servari, a foetu haud levibus organis carente, a foetu, in quo organa maxime varia ad vitam conservandam conjungantur. Haec quidem scribens in Treviranii (1) dicto nitor:

> in omnibus monstris organa interna ita regulariter esse formata, quam secundum deformitatem externam fieri possit, et in omnibus vis plasticae studium, ut quam integerrimus organismus restituatur, cognosci.

At fere omnes viri huic fuerunt inimici dicto; multi contendunt vim plasticam turbari externis causis nocentibus et turbationes esse tot, quot causas; alii etiam plura volunt, vim plasticam sine causa aliqua, sed per se a recta formandi ratione posse abire. Equidem tamen censeo, omnes hos viros primae legis et gravissimae naturalis: „nullum effectum sine causa" esse oblitos; Meckel ingeniosus, qui praecipue vim plasticam per se alienari contendit, istis nititur monstris duplicibus, quorum alterum optime pessime al-

---

(1) Biologie T. III. p. 453.

terum sit formatum, et hanc facit conjecturam, alterum eorum monstrorum minus esse formatum, quod vis plastica ad monstra duo bene formanda non suffecisset. Gravissimum mihi foret negotium, cum sententiam illam esse falsam vellem demonstrare, quod meo ex judicio omnia monstra duplicia non ex uno ovo vique plastica aucta, sed ex ovis duobus, quorum suam quodque habet vim plasticam, formantur. Sed id accuratius et latius consideremus. Quodque cum ovum in ovario depositum post coitum fertilem in uterum pervenire possit solum, necesse quoque est, suam quodque ovum habeat vim plasticam. Cum ergo ponimus, duo ova post coitum pervenire in uterum, luce clarius est, duas quoque hoc in casu vires plasticas una cum duobus ovis in uterum pervenire: vis enim plastica a natura ovis ab initio est data; coitu non datur, sed incitatur ad evolutionem. Utinam autem remaneat alterius ovi vis plastica? Aut quomodo et quam ob rem deleatur? Equidem nescio. Sed tribuamus cum Meckel unam tantum vim plasticam duobus in utero non cohaerentibus embryis, quorum alterum integrum, alterum sit monstrosum; quae hoc in casu fiat definitio? Meckel dicit, vim plasticam non suffecisse ad formandos duos foetus completos, i. e. aliis verbis, vim plasticam esse divisam in partes duas, quarum altera majore foetus completus, altera minore monstrosus et incompletus formaretur. At quis est, qui hujusmodi vis plasticae divisionem probet? Et quomodo dividatur? Multo majori exspectandum est jure, vim plasticam, cum non sufficeret ad foetus duos completos formandos, duos foetus aequali ratione formaturam fuisse monstrosos. Sed facta et omnia ea exempla, quae Meckel T. I. p. 56. proposuit,

sententiae huic contradicunt, quae contradictio ex praemissis falsis existere videtur.

Demonstrare igitur studui, germen ipsum nunquam esse monstrosum, vim plasticam nunquam posse turbari; quae igitur sint causae monstrorum, quaerere licet. Eas explicabo, sed antea mihi est memorandum, me spatio dissertationis parvo prohibitum de monstrorum physiologia non esse locuturum.

Maximi esse mihi videtur momenti in monstris formandis, utrum post coitum fecundum unum venerit ovum in uterum, an plura, qua in differentia nititur prima mea monstrorum divisio. Jam antea dixi, omnia viva ex ovo, ex ovo uno unum quoque individuum, ex pluribus plura, quo nihil simplicius; facillime ova duo s. plura post coitum in uterum posse venire, fere quotidie videre licet, quod geminorum, trigeminorum exempla saepius obvia sunt. Habemus igitur partes duas magnas, quarum prima ea continet monstra, quorum formationi duo opus sunt ova.

I. DUO OVA IN UTERO.

Nunc velamenta ovorum accuratius sunt consideranda, namque interest, utrum A) suam quodque ovum habeat velamentum et ita ova velamentis propriis sint secreta, an B) duo ova uno et eodem velamento sint circumdata. Experientia jamdudum exemplis permultis demonstravit, hos duos casus adesse posse, quare considerentur.

A. OVA PLURA VELAMENTIS SECRETA.

Class. I. Polypaedia.

Facile patet, foetus hac conditione nullam habere communicationem, eos multo minus posse cohaerere aut concrescere; foetus igitur si nulla alia re obnoxia afficiuntur, optime formantur, et graviditate finita, duo s. plures, sed integri et completi pariuntur infantes, qui re vera nominari non possunt monstra, sed propter divisionis meae perfectionem in classem primam nomine polypaediae redegi.

B. OVA PLURA EODEM VELAMENTO CIRCUMDATA.

Class. II. Plantatio.

Duos foetus interdum uno et eodem velamento esse inclusos, inter omnes constat. Hos tantum tres locos afferam, ubi hujusmodi exempla sunt descripta:

Halleri opusc. anat. p. 199.

Blumenbach, institut. physiolog. §. 576.

Philos. transact. 1740. n. 456. p. 294.

Duplice autem ratione fieri potest, ut ova duo uno circumdentur velamento: ova scilicet aut ex eodem ovario in uterum veniunt, ita ut jam ab initio circa ea unum tantum velamentum commune fingatur; aut alterum ovum ex dextro, alterum ex sinistro venit ovario, et velamenta postea delentur. Omnia monstra, quae nunc, quod alter alterum tangit

foetus, possunt formari, in classem secundam retuli eique nomen dedi plantationis.

Dubitari non potest, foetuum corpora in superficie tangente quadam vi comprimi; e chirurgia constat, resorptionem proximum esse effectum compressionis, neque ulla est causa, cur id in foetu se non ita habeat; resorptionem autem sequitur concrescentia. Resorptio igitur et concrescentia eo major erit, quo majores vires mechanicae, quo molliores embryorum sunt partes. Vis vero plastica, quae foetus nascentes ab interitu toto defendit, nova vasa, novam circulationem fingit, partes varias in formam idoneam coaptat; quae partes pereunt, quae fiunt majores, quae remaneant duplicia, haec omnia dependent a vi mechanica obnoxia ejusque directione. Haec mea sententia, quam Wienholt (1) quoque jam habuit, permultis ex natura et animalium et plantarum exemplis et experimentis nititur. Arborum rami, plantae variae, fructus duo, membra corporis humani epidermide sana tecta, perpetuo tactu concrescunt; ut hic vasa varia confluunt, nova existunt, ita quoque res se habebit in foetu. Nonne videmus, cum in corpore humano vas quoddam ligatura est clausum, vasa lateralia fieri multo ampliora, nova communicantia existere? Cur igitur hanc rationem naturalem in embryo negare, cur vires occultas, ignotas ad auxilium vocare velimus? Omnes haud ignoramus, resorptione ea, cujus jam feci mentionem, organa jam perfecte formata iterum posse evanescere, qualis glandula thymus, suprarenalis; Haller (2) quoque

---

(1) Ueber d. Entstehung d. Missgeb. Bremen 1807. p. 88.
(2) Opuscul. anatom. p. 202.

profert exempla organorum majorum. Causam tamen mechanicam in monstris hujusmodi formandis plurimum valere, cum spatium, si plures adsunt foetus, fiat angustius, id ea quoque animalia, quae partu uno permultos edunt foetus, ut sues et lepores demonstrant, quod apud ea plurima inveniuntur monstra. Meckel (loc. cit. p. 67) negat, monstra duplicia cohaerentia, concrescentia e duobus fieri posse, et proponuntur ab eo praecipue causae hae:

1. Simplicitas funiculi umbilicalis.
2. — diverticuli ad intestina.
3. — generis.

Respondendum autem est ad 1. duplices quoque inveniri funiculos umbilicales, uti apud gemellos coalitos in museo Berolinensi; deinde quoque duplicitas haec dependet ab inplantationis loco, ita ut locum habere nequeat, si foetus ventriculo concrescunt; ad 2. diverticula omnino rarissima tantum inveniri apud omnes homines. Ad 3. Meckel ipse jam concedit, genitalia utriusque generis interdum reperiri, quod sufficit ad illud argumentum III rejiciendum. Licet mihi insuper argumenti causa nonnullos locos, ubi hujusmodi monstra describuntur, citare: Bacher, Journal de méd. 1788. Juin. p. 483.

Hasenest, Comm. litt. Noric. 1741. p. 59.
Brisseau, Six observat. à Paris. 1743. p. 33.

Meckel pergit postea sic:

His ex causis a me propositis patet, monstra duplicia permagna vi plastica existere, haecque monstra eo profundius in unum esse concreta, quo minor, eo magis

discreta, imo duos ipsos foetus minime cohaerentes esse, quo major vis fit plastica.

O te felicem physiologum! ista tua vis plastica permagnam habet potestatem, quod omnia tibi, quaecunque libent, format monstra. Si illud doctissimi Meckel verbum esset verum, semper in utero primum unus tantum inveniendus esset foetus, sed pari modo, quo vis plastica augeretur, ex uno isto foetu existere possent cryptomorphia, inplantatio, gemini, trigemini. Vix quis cupiat, ut demonstrem, quae dementia insit huic theoriae; itaque repeto tantum, ex ovo uno unum vivum, et pergo divisionem meam explicare.

Jam demonstravi, concrescentiam eo fore profundiorem quo priori tempore incipiat, et quidem duabus ex his causis: 1) quod organa foetus et substantia mollior est, 2) quod adhuc majus graviditatis tempus instat, per quod resorptio major fieri possit et profundior. A cohaerentia tamen tantum superficiali usque ad profundissimam in plantationem innumeras cernimus gradationes, quae difficillime tantum possunt discerni. Sed duos ordines inferiores a me sunt stati: a) Inplantatio et b) Cryptomorphia, quas ita distinguo, prout membra foetus alterius, qui in alterum est inplantatus, externe adhuc possint videri, aut non; sic fines certos inter hos ordines esse positos existimo.

a. INPLANTATIO.

Apud inplantationem foetuum duorum membra aequalia concrescere possunt, aut inaequalia, qua differentia inplantatio

iterum habet duas species: α) Symmetriam et β) Asymmetriam.

α. SYMMETRIA.

Huc pertinent: Syncephalia, ejusque gradus majores, aprosopia et ateloprosopia: Baldinger's n. Magazin, T. XV. p. 492.

Synthoracia, Syngastria } Meckel's Archiv f. d. Physiol. T. III. p. 374.

Synclunesia, ejusque gradus major, apodia. Mém. de l'acad. 1706. Ed. 8. p. 538.

Aganophysia (ἄγαν, nimium et ἡ φύσις, sexus) quod nomen propono loco veteris, hermaphrodisia, quae appellatio est omnino falsa, quoniam ille status, qui apud animalia ita nominatur, apud homines nunquam invenitur; plura autem quam sufficiant (i. e. ἄγαν) genitalia deprehenduntur, tamen nunquam utriusque generis. V. Schenk, med. chir. pract. Archiv. Wien. 1804. T. I.

β. ASYMMETRIA.

Ex quapiam parte (fere semper thorace et abdomine) completi foetus alterius partes foetus alterius plus minusve incompleti prominent.

Acta. Helvetic. T. VIII. p. 101.

b. CRYPTOMORPHIA.

Ab aliis nominata foetus in foetu. Quae equidem de

hac formatione cogitem, jam dixi et ex divisione patefiunt; tamen necesse est, aliorum de ea opinionem proponam. Meckel (loc. cit. p. 83) dicit, duas posse inveniri causas: cryptomorphia aut per parentes aut per foetum ipsum, quo includitur, procreatur. Hufeland (1) hanc causam posteriorem omnino rejicit, quod fieri non potest, ut foetus in corpore masculino et per illud solum existat. Ejusque cum dicto omnino est consentiendum. Pariter Prochaska (2) illam causam reprobat, primum quod infantes, in quibus inveniuntur, sunt juniores, deinde quod genus unum non sufficit. Nunc igitur prope inter omnes constat, foetum utrumque eodem tempore superfoetatione exstitisse, sed incertum adhuc est, quomodo in hunc venerint statum. Dupuytren (3) nullam hujus rei dedit definitionem; Hufeland (loc. cit. T. 14.) incertam profert sententiam; Osann (4) omnino eandem mecum habet opinionem cryptomorphiam ex duobus embryis concrescentia et resorptione existere. At Meckel has omnes causas negans, foetum contendit inclusum procreari a foetu includente, et ad illud suum dictum confirmandum conjecturam facit hanc: pubertas saepissime priusquam alias maturescit, quod menstruatione praematura in puellis, spermate nimis maturato in pueris demonstratur; si igitur haec puber-

---

(1) Journal, B. XX. H. 3. S. 173.

(2) Med. Jahrbüch. d. oesterr. Staat. 1814. B. II. St. 4. S. 67.

(3) Bullet. de l'école de méd. An. XIII.

(4) Medico-chirurgical. transact. Lond. 1809. Uebersetz. vol. I. p. 316.

tatis maturatio adhuc in gradum fortiorem est aucta, foetum ipsum potest procreare. Sed revera vix putem, doctissimum Meckel non intellexisse differentiam permagnam inter functiones naturales, praematuras illas quidem, et foetum formandi facultatem. Exempl. offerunt

Dupuytren, Bullet. d. l. faculté de Méd. T. I.

La Chaise, Dissert. d. l. duplicite monstr. par inclus. Paris 1822.

Hiygmore, Medical repository. London. vol. II. 1814. p. 173.

II. OVUM UNUM IN UTERO.

Monstra, quae uno ex ovo possunt formari, pendent e causis, quibus afficitur ovum; causae vero esse possunt mechanicae, vegetativae, morbosae, sensitivae, ita ut IV classes existant hac:

1) Ectopia, 2) Trophomorphia, 3) Nosomorphia, 4) Psychomorphia.

CLASS. III. ECTOPIA.

Ab aliis vocata inversio, sed nomen ectopia statum melius significare mihi videtur. Pertinent autem in hanc classem:

a. Curvatura et contractura extremitatum, ut varus, valgus, pes equinus, talpa, quae situ pressuque existunt, itaque sunt notae et simplices, ut plura de eis non loquar neque exemplum ullum apponam.

b. Dislocatio; significat monstrum, in quo organum quoddam ut hepar, cor, lien e loco naturali in alium praeternaturalem abiit; rem ita se habere, alii quoque jam dixerunt, nec tamen cur fieret et quomodo. Mea ex sententia gravitas sola his in monstris formandis plurimum valet; facillime enim fieri potest, ut illa organa, quae tempore jam priori fiunt majora, igiturque etiam graviora, si foetus talem habet situm, ut illa organa in summa parte jaceant, propria sua gravitate per substantiam adhuc molliorem descendant. Melior saltem haec mea definitio esse mihi videtur, quam illa celeberrimi Andral, qui ex aberratione vis plasticae dislocationem definivit; sed haec definitio nihil definit, quod vim plasticam ipsam ignoramus, haecque vis ut deus ex machina omnipotens omnia posse debet, quae alio modo expedire non possumus.

c. Protomorphia, ab aliis nuncupata theromorphia; nomen autem: theromorphia rejeci ex his causis: constat inter nos, hominem perfectissimum habere organismum, atque hunc organismum eo minus esse perfectum, quo magis ad animalia infima descendimus. Nec tamen omnia organa per nonnullas animalium classes aequo modo minus fiunt perfecta, nonnulla adeo magis perfecta sunt in animalibus quam in hominibus; sed summa, ut ita dicam, qualitatum hominum organismum magis perfectum ostendit; in foetu omnia quoque organa e statu omnino imperfecto ad statum maxime perfectum per X graviditatis menses progrediuntur: quid igitur est simplicius, quam quoque temporis stadio nonnulla organa similia esse nonnullis animalium organis? Verum hanc aequalitatem nominare non licet theromorphia, quoniam hac conditione fere omnia monstra ita appellari possent. Theromorphia si revera

existere deberet, posco, ut non solum unum et alterum organum sit simile, sed foetus in quovis organo theromorphiae structuram et perfectionem possideret; at hic status nunquam obvius est. Protomorphiam autem nominavi, quod ex primo jam tempore haec formatio incipit, et in hac classe posui, quia nullam aliam causam habere mihi videtur, quam quod organa majora sunt dislocata; semper tamen adsunt causae mechanicae, ut pressus, situs, tractus harumque virium effectus: adhaerentia, resorptio, concrescentia, obliteratio, ceteri.

CLASS. IV. TROPHOMORPHIA.

Haec classis continet monstra, quae nutritione locali alienata aut aucta aut sublata evadunt; ex qua nutritione diverse alienata existunt duo ordines.

a. MEIZOTROPHIA.

Cum nutritio his in monstris augeatur localis ex causis, quae esse possunt paene tam multiplices, quam in corpore vivo, ut congestione ad spatium, defectu aliorum membrorum, ceter., necesse quoque est vegetatio augeatur localis; vasa sanguifera, cum nutrimentum adducant, fiunt majora, imo augentur nec non pili supra modum formantur, procrescunt, et ita existunt deformationes monstrosae hae:

Telangiectasia ejusque gradus fortior Crinomorphia.

Discrevi haec vitia a classe V. (nosomorphia,) quod in meizotrophia tantum organa localia, quae statu quoque sano jam adsunt, ut vasa capillaria bulbique capillorum, nimis formantur, aliqua alia causa morbosa non praesente.

b. MEIOTROPHIA.

Continet omnia illa monstra, quae nutritione locali diminuta, imo sublata nascuntur; causae esse possunt mechanicae defectus organi, per quod sanguis ad membrum minus nutritum perducitur, amputatio spontanea et ceterae. Sic existunt ord. infer. IV:

α. defectus, β, conjugatio, γ. atresia, δ. fissura.

α. DEFECTUS.

Nomen jam declarat, nullam aliam existere permutationem nisi defectum organi alicujus; necesse igitur est, ut illae causae, quibus efficitur defectus, nonnisi tempore seriori agant, aut ejusmodi organa, ut extremitates et ceteras partes externas, afficiant, ut post defectum aliae permutationes, uti concrescentiae adhuc existere non possint. Defectus autem majoris momenti sunt:

defectus capitis: Phil. transact. no. 456. p. 304.
— encephali: Schweighäuser, Beschr. einer Missgb. Tübing. 1801.
— cordis: } Mém. de mathem. prés. à l'acad. d.
— pulmonum: } sc. T. IV. p. 123.
— genitalium: Stark's Archiv B. I. S. 357.
— cap. et thor.: Mém. d. l'acad. d. sc. 1741. p. 665 et 1740. p. 811.

β. CONJUGATIO.

Duo organa ex utroque corporis latere plus minusve in unum concrescunt; necessarium igitur est, haec concrescentia horum tantum organorum defectu effici possit, quae inter organa postea conjugata jacent; major tamen concrescentia vel minor pendet ex tempore, quo pars intersita deleta est; conjugationes praecipuae sunt:

Synopsia: Littre (primus de eis scripsit) Mém. de l'acad. 1703.

Synotia: Raysch, Advers. dec. I. p. 8.

Synnephria: Haller. Opusc. path. p. 147.

γ. ATRESIA.

Est praeclusio praeternaturalis aperturae cujusdam externae. Evolutio progrediens nos docet, omnes eas aperturas prima aetate esse conclusas; cum igitur hoc tempore nutritione sublata evolutio perfectior prohibetur, in infante nato illae aperturae inveniuntur clausae. Sunt maxime:

Atresia palpebrarum: Wrisberg, descript. anat. embryon. Goetting. 1764 obs. 11.

— iridis: Littre, Mém. de l'acad 1707.

— narium: Sandifort, museum anatom. vol. V. p. 300.

— oris: Borridius, Act. Hafn. T. II. p. 159.

— ani et genit.: Salzmann, Hist. morb. diff. p. 25.

— universal.: VIII. Samml. med. u. chir. An. S. 43.

δ. FISSURA

apertura est praeternaturalis cavi alias praeclusi; quamquam haec vitia contraria sunt atresiis, tamen eadem ratione, i. e. nutritione locali sublata gignuntur et differentia inter has formationes ex statu ab initio contrario oritur. Exstant potissimum:

Fissura calvar.: Siebold, Collect. obss. med. chir. 1769. Fasc. I. art. 1.
— lab. sup.: Lafaye, Mém. d. l'acad. de chir. T. 1. p. 617.
— — inf.: Meckel, path. Anat. B. 1. S. 548.
— oss. palat.: — — — B. 1. S. 408.
— malarum: Klein, monstr. quorund. descr. Stuttg. 1793.
— linguae: Dana, Mem. de Turin 1787. p. 303.
— thorac. et abdom.: Schulz, Schwed. Abhand. B. 25. p. 28.
— canal. spinal: Rossi, Mem. de Turin 1800. T. VI. p. 18.

CLASS. V. NOSOMORPHIA.

Foetum, quamquam a natura depositus est in loco, a quo fere omnes obnoxiae res arcentur, fieri tamen posse aegrotum, nemo certo invenitur, qui negat (1). Causae autem morbo-

(1). J. Graetzer, D. Krankh. des Foetus. Bresl. 1837.

rum foetus sunt permultae: morbi aut in foetu ipso gignuntur, aut a matre in eum transferuntur. Cum matris sanguis ex aliqua causa, ut terrore, stadio frigoris febris intermittentis etc., a superficie expellitur et congestio ad organa interna existit, foetus quoque majore sanguinis quantitate imbuitur, unde morbi cujusvis generis facillime evadere possunt. Praeterea causae esse possunt humores materni pravi, morbi placentae, uti hydrops (P. Frank), inflammatio (1), scirrhus (Lachapelle, Amand), atrophia et exsiccatio (matris terrore effecta; Morgagni), resorptio (Osiander), ossificatio (Lobstein). Morbi ipsi in foetu obvii sunt: Rhachitis (2), febr. intermitt. (Schurig), variola (Mauriceau) aliaque exanthemata, inflammationes variae (3), tubercula (Dupuy, Andral), amputatio membrorum spontanea (Schaeffer, Béclard), icterus (4).

Ita pluribus quam necesse est exemplis ostendi, quot quantisque morbis foetus affici possit, sed omnes hi morbi eorumque residuum non possunt adnumerari monstris, quod formam monstrosam prae se non ferunt. Hanc ob rem hic tantum monstra ex causa morbosa proponenda sunt haec:
Hydrops capitis: Wrisberg, Salzburg: Zeit. 1805. B. 1 S. 88.

---

(1) Brachet, Des maladies du placenta et de leur influence sur la vie du foetus (Journ. gén. de Méd. Jan. 1828.)

(2) Ch. F. Sartorius, de rhachitide congenit. observ. Lips. 1826.

(3) Billard, Dict. de med. art. oeuf.

(4) Dubreuil, Ephemerid. méd. de Montpellier.

Mola: Leroy: Mém. sur la môle vesiculaire; utrum Albinoismus (1) huc pertineat, a monstrorum definitione maxime ambigua dependet.

CLASS. VI. PSYCHOMORPHIA.

Nomen dedi et locum in divisione his monstris, sed tu, sanctissime Aesculapi, spiritum tuum mihi non dedisti, ut apte de eis loquar et jucunde. Equidem nihil habeo, quod de eorum pathogenia dicam, et inopia aliorum, qui de hac monstrositate scripsere, mihi afferre non potuit consolationem; sed ad rem. Psychomorphiam eam esse monstrositatem dico, quae animae maternae efficacitate provocatur, et ita quidem, ut in foetus corpore quid existat, colore aut forma simile rei, cujus effigie matris anima moveretur. Jam intelligendum est, me de ea monstra formandi ratione loqui, quae lingua nostra nominatur: „Das Versehen der Schwangern." Id fieri posse, negant multi, multi probant; equidem horum sententiam sequor, et hanc ob rem psychomorphiam in classe VI. posui. Necesse tamen est, ut omnium hujus sententiae et amicorum et inimicorum judicia accuratius contemplemur.

Meckel (loc. cit. p. 41.) dicit: ut ratio, qua fiant psychomorphiae constituatur, quaerendum est primum, num animae maternae affectu agi in foetum possit; deinde num eo affectu certe formationes similes eis rebus, quarum effigie matris sensuum affectus commoveretur, effici possint. Illud a Meckel ipso omnibusque physiologis summo jure conceditur, et ipse jam ante apud nosomorphias affectuum sensitivorum

---

(1) Rayer, Traité de la maladie de la peau.

I. P. Blumenbach, de generis humani varietate nativa. Gotting. 1792. p. 150. et 274.

efficacitatem ostendi; alteram tamen quaestionis partem Meckel omnino negat, sed argumenta quae proponit ita sunt confusa et maxime composita, ut vix, quae ab eo sint dicta, intelligere possim. Sed, quod revera perquam est mirum, Meckel (p. 42.) psychomorphias quoque concedit, quod tamen inscius fecisse videtur, cum loco illi tot verba et sententiae inanes insint, ut ejus vera opinio vix erui possit. Deinde Meckel (p. 43.) pergit: haec mea definitio (quae quidem quodvis potius aliud quam definitio esse potest) omne mirabile e psychomorphia tollit et demonstrat, eas psychomorphias priori quidem, nec vero posteriori tempore posse effici. Quid autem respondendum, si id dictum conferimus cum eo, quo omnes psychomorphiae sunt negatae? Eas ultimo graviditatis tempore fieri negat, quia in organismo hominis viventis ejusmodi deformationes nunquam existunt; sane haec causa levissima est, quod foetus organismus ab hominis viventis corpore maxime differre mihi videtur.

Ph. F. Blaudin, postquam matris affectuum sensitivorum efficacitatem in foetum generalem concessit, ita pergit; quid autem de psychomorphia est dicendum? Nonne licet cum plebis placito consentire, psychomorphias existere ex matris judicio, affectu sensitivo, optatione quadam interdicta, cupiditatibus negatis? Id revera ita foret ridiculosum (pergit ille), ut melius esse videretur, cognitionem nostram insufficientem fateri, quam causas expromere inanes. Equidem ei respondeo, psychomorphias revera a nemine adhuc esse explicitas, tamen hanc ob rem ipsam causa illa sensitiva, cujus effectum fere quovis die videre possumus, est probanda, cum alium, ne dicam meliorem, causam ejus loco proferre nequeamus.

Ant. Dugès (1): sine dubio, inquit, concedere debemus, matris affectus sensitivos in foetum agere, et ita etiam psychomorphias existere est putandum, quin cum plebe judicemus, connexum exstare inter qualitates physicas illius rei, qua mater moveretur, et istas psychomorphias in foetu. Hoc ei ex intimo corde concedamus, sane enim nemo hunc nexum probet; connexum tamen exstare inter matris animam et psychomorphias, huncque nexum solum in re nostra dijudicanda maximi esse momenti, equidem semper contendam, at nunquam audebo in ejus definitione niti.

Joerg (2) causam omnium monstrorum asserit in ovo ipso esse quaerendam, ovumque accipere posse leges formativas monstrosas aut ab ovario, aut spermate virili; praeterea negat primum, matris animam in foetum posse agere, deinde ullum connexum nec nervosum nec psychicum exstare inter matrem et foetum. Jam multis hujus dissertationis locis sententiam de ovo monstroso meam aperui, nec repetam, sed silentio transire nequeo aliam, quae in istius auctoris dicto inest, contradictionem. Primum videlicet contendit, ova ab initio esse monstrosa, deinde tamen, monstrositatem transire posse in ovum aut ex ovario, aut ex spermate, quae contradictio neminem fugiat. Priusquam vero pergam, facere non possum, quin nomine omnium, qui psychomorphias putent obvias, gratias ei habeam, pro salute ea et laude, quibus nos

---

(1) Boivin et Dugès, Traité prat. des malad. de l'uterus et de ses annexes. Paris 1832.

(2) Universal lexic. d. pract. Med. u. Chir. Leipz. 1839. Art. Graviditas.

impertivit. Scribens enim sic pergit: omnes eos sine dubio insanos esse et mente carentes, qui psychomorphias existere opinentur; gratias ergo iterum tibi habeo, doctissime et mente sanissima praedite, qui de nostra mente sana dubitas. Sed valeat ille ceterique omnes, qui omnibus nisi suis sententiis obtrectent; eos pertinaces materiae esse amicos contendo, doctissimorum Wendt, Lentili, aliorum sententiam, psychomorphias existere sequuturus donec causae mihi possint dari et rationes certae, quibus contrarium demonstretur; nervi quidem in funiculo non adsunt umbilicali, sed facta psychomorphiae exstant, nec negari possunt. Doctissimi quoque Jahn opinione nitor, qui affirmat, monstra et praecipue psychomorphias saepissime inveniri apud plebem, feminas imbecillas et stultas, primiparas et seroparas; denique apud gravidas, quarum corpus ex causis physicis dispositum sit ad monstra, aut quarum phantasia, mente ducente carens et regente, cujusdam rei effigie facillime moveatur. Exempla psychomorphiae referunt:

Fr. Mauriceau, Traité des malad. des femmes grosses. Paris 1675. p. 121.

Kerkring, Specileg. anat. obs. 87.

Schurigii Syllepsiol. p. 553 et 595.

Klein, E. v. Siebold's Journal f. d. Geburtsh. T. II.

Meckel, Archiv f. d. Physiol. T. II. S. 353.

Fabricius Hildanus, Obs. et Curat. chir. Cent. III. obs. 6.

Pechlin, Obs. physic. med. lib. III. p. 431.

Berliner Monatsschr. B. X. S. 545.

Psychomorphiae quoque ex mea sententia adnumeranda

est cleromorphia, a nostratibus nominata: Erb-Missgeburt; quod nomen dedi huic speciei monstrorum, cum omnino nullum reperirem. Cleromorphiam tamen adesse dicimus, si in eadem familia nonnulla exstant individua, quae laborent eodem vitio monstroso.

Multi eam existere dicunt ex ovis pari modo monstrosis, ita ut necesse sit, quisque infans eadem matre natus aeque sit monstrosus, quam sententiam sequi non possum, quod ova-monstra exstare nego; sed aliis quoque ex causis haec definitio mihi satisfacere non potuit. Si enim illam opinionem ponimus veram, facillime potest intelligi, omnes infantes ejusdem quidem feminae eadem ratione esse monstrosos, imo, ut etiam plura istius opinionis defensoribus concedamus, illam dispositionem ovorum monstrosam a matre posse transire in filias, ita ut nepotes quoque omnes, illa ex filia nati, iterum eadem monstrositate affecti esse queant, et ita porro. At haec explicatio non sufficit, si videmus, easdem monstrositates in eadem familia ex variis feminis, origine non consanguineis nasci; hujusmodi autem exempla sunt permulta (1). Equidem igitur eandem esse causam censeo cleromorphiae quam psychomorphiae; qui mecum psychomorphias existere putaverit, hoc quoque mihi libenter concedet, id quod simplicius est, quam ut a me accuratius expediatur. Sed ne contradictionis amicissimus esse videar, contrariis quoque ostendam, qua conditione haec mea definitio falsa esse possit. Conditio autem est haec: ut cleromorphiae inveniatur exemplum ejusmodi, ut

---

(1) Anna, chir. Zeitschr. 1805. B. IV. S. 212.
Bresl. Samml. Jahrg. V. S. 5.

femina eadem non conscia, se jam antea monstrum peperisse (quod quomodo fiat, facillime potes assequi) iterum iterumque infantes eadem ratione monstrosos pariat; hac enim conditione monstra a psychomorphia dependere non possunt, et alia quaedam causa proponenda foret. Exempla cleromorphiae suppeditant:

Heuermann, med. Beob. B. II. S. 234.

Walter, Obs. path. anat. 1800. p. 44.

Henkel, vierte Samml. chir. Anm. S. 54.

Lucas, Mem. of the med. 'society. Vol. IV. p. 101.

Divisio haec ut melius possit perspici, jam eam breviter componam.

Monstror. divis. mea.

- Ova plura et velamenta
  - integra — 1. Polypaedia
  - deleta — 2. Plantatio
    - a. Inplan
    - b. Crypto
- Ovum unum et causa
  - mechanica — 3. Ectopia
  - vegetativa — 4. Trophomorphia
    - a. Meiz
    - b. Mei
  - morbosa — 5. Nosomorphia
  - sensitiva — 6. Psychomorphia et Cl

foetus II. et plures

atio — α. Symmetria — syncephalia (Aprosopia, Ateloprosopia); synthoracia; syngastria; synclunesia (apodia); aganophysia

β. Asymmetria

norphia — curvatura et contractura; dislocatio; protomorphia

rophia — telangiectasia; crinomorphia

trophia —
α. Defectus — capitis, cerebri; cordis, pulmonum; genitalium, cet.
β. Conjugatio — synopsia; synotia; synnephria
γ. Atresia — oris, narium; ani, cet.
δ. Fissura — calvar. medull. spinal.; thoracis, abdominis; cet.

morphia — Hydrops capit.; mola; albinoismus

Haec est divisio mea, ne sit pessimà omnium, quae exstant; multi errarunt, errabunt, ego quoque facillime in errorem incidere potui; gaudeo affici cum non potuero, utilitatem quandam speciosissimae arti medicinae labore meo esse allatam, solatium tamen mihi erit permagnum, si alii hoc opere incitati hanc doctrinae medicae partem retractabunt.

Prius vero quam finiam, facere non possum, quin hunc libellum Vestrae, commilitones doctissimi, indulgentiae commendem ac benevolentiae. Valete.

VITA.

Ego, Rudolphus Bernhardus Fernau, fidei addictus evangelicae, natus sum Wrieznae, oppido Marchiae, d. XI. m. Decembr. a. MDCCCXVIII, patre Henrico camerario, matre Charlotta e gente Stueckler, quos Deus optimus maximus hucusque incolumes mihi servavit. Primis litterarum elementis in urbis patriae schola imbutus, Berolinum me contuli, et in gymnasium Leucophaeum Berolinense a Cel. Koepke directore sum receptus, ibique per annos VIII versatus sum. Testimonium maturitatis nactus, almam Lipsiae universitatem petii, ejusque civibus ab Ill. Carus, t. t. rectore magnifico, sum adscriptus. Hoc loco per annum unum et dimidium frequentabam lectiones has: Ill. Hartenstein de logice; Fechner de physice; Erdmann et Kuehn de chemia; Petermann de botanice; Poeppig de zoologia; Weinlig de mineralogia; Weisse de philosophia; Kneschke de encyclopaedia et methodologia medicinae; Heinroth de anthropologia et psychologia; E. H. et G. Weber de anatomia et physiologia; Hasper de pathologia universa; Guenther de chirurgia. Hinc Berolinum reversus inter cives almae

litterarum universitatis Fridericae Guilelmae ab Ill. Dieterici, t. t. rectore magnifico, receptus, apud Ill. Juengken, t. t. decanum spectatissimum, nomen sum professus. Sequentes per annos duos et dimidium interfui scholis his: Ill. Mitscherlich de materia medica; Ill. J. Mueller de anatomia sensuum, comparata et pathologica; Ill. Link de toxicologia; Ill. Schultz de diaetetice; Ill. Casper de medicina forensi; Ill. Wagner de medicina forensi; Exp. Isensee de morbis cutaneis; Exp. Dann de morbis aurium; Cel. Eck de morbis contagiosis; Ill. Juengken de chirurgia speciali; Ill. Horn de morbis syphiliticis; Ill. Busch de arte obstetricia; Cel. Ideler de morbis animi; Exp. Ascherson de arte fascias imponendi; Ill. Hecker de medicinae historia. Clinicis institutionibus interfui medicis Ill. Wolff, Schoenlein, Wagner; chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Juengken, Dieffenbach; obstetriciis Ill. Busch; syphiliticis Beat. Kluge; de morbis animi Cel. Ideler.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Generatio aequivoca non exstat.
2. Cura antiphlogistica est postponenda mercurio in syphilide sananda.
3. Symptoma non est morbus, sed symptomata.
4. Eclecticismus optimum semper erit systema medicorum.
5. Experimenta instituere medico licet.
6. Sanguis fons est et vitae et mortis.
7. Affectuum matris psychicorum vis in foetum non est neganda.